

EXAMEN PRIMÆ
opinionis.

IN opinione prima non venit in controuersiam, an caro Spiritui opponatur: id enim passim extat *Ioh. 3. v. 6. Rom. 8. v. 13. Gal. 5. v. 17.* & alibi. quæ loca vt & infinita alia, dubio procul respiciunt ad illud *Geneseos cap. 6. v. 3.* vbi primò omnium reluctantis contra Spiritum carnis fit mentio. Neque hoc agitur, an in vita æterna regeneratio futura sit omnibus numeris absoluta & an hoc sensu futuri simus homines spirituales.

Nec id quoque venit in quæstionem, an cum Paulus animalis homini spiritualem hominem opponit, idem similiter sentiat, quod in *ἀνιδέσθαι* carnis & spiritus. Sed illud est quod hoc loco spectatur, an idem sit dicere animalis homo & animale corpus, & spiritualis homo, & spirituale corpus? & an nihil aliud in super Paulus verbo corporis spiritualis velit intellectum, quàm *ἀνιδέσθαι* carnis & spiritus? Omnem controuersiam ipsa Pauli verba accuratè inspecta diriment. Primò enim diligenter obseruandum est, quod Paulus non dicit, seminatur caro, resurgit spiritus, Sic enim debuisset loqui: & si hoc modo fuisset locutus, intellexisset tantum sepulturam & resurrectionem spiritualem, quam PRIMAM Spiritus sanctus in *Apocalypsi cap. 20. v. 6.* appellat, quæ fit in verbo & Sacramentis, dum adhuc sumus in corpore. *Eph. 2. v. 5. Col. 2. v. 13. Rom. 6. v. 4.*

Iuxta quam expositionem, hic iam futurus esset sensus cō-